Cum dolone ac uenatorio cultro præstolantes. Alphenus lib.9.dig.ad legem Aquil.l.si ex plagis. Flagello, inquit, quod in manu habebat, in quo dolon inerat, uulnerare tabernarium cœperat. ubi mendose pro dolon legitur dolor, neque minus falso Accursij interpretamento locus enarratus.

DONARIA, *inquit Valla contra Seruium, non sunt loca in templo ubi dona reponuntur, sed potius ipsa quæ offeruntur dona. Virgil.3.Georg. Imparibus ductos alta ad donaria currus. Luc.in 9. Neq; eois splendent donaria gemmis. Paul lib.49.de re militari.l.qui excubias. donarium pro donatiuo posuit. Item C. de sacrosanct.eccl. l.sancimus.pro dono posuit Iustinia. dicens: uasa uel uestem cæteraq; donaria.*

DVRACINAE *uuæ dicuntur, & duracina persica. De uuis duracinis lemma est apud Martialem in disti.de persicis duracinis. Pli.lib.15. Duracinis, inquit, hæret corpus. Iurisconsultus de uerb.sign.l. qui fundum. Qui fundum, inquit, uendidit, pomumq; excepit, ficus, nuces, & uuas duracinas, duntaxat & purpureas, & quæ eiusdem generis essent, & quas non uini causa haberemus, quas Græci trozimus appellant. Lege in uerbo trozimos.*

E

EDITVS *bouis, pro stercore quo in quibusdam regionibus utuntur, dictus ab edẽdo, id est, extra mittendo. Iurisconsultus in titu. de legat.iij.l. ligni appellatione. In quibusdam prouincijs editu boum ad hanc rem utuntur.*

EFFRINGERE, *est furãdi causa ianuas frangere.*

© 2011 Real Academia de Jurisprudencia y Legislación